



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense**

**Mader, Joachim Johann**

**Helmeſtadi, 1665**

Prologvs In Libellvm De Fvndatione Coenobii Bigavgiensis, à temporibus  
Henrici III. ad annum Christi MCCXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11088**



IN CIPIT

PROLOGVS IN LIBEL-  
LVM DE FVNDATIONE COE-  
NOBII BIGAVGI-  
ENSIS,

à temporibus HENRICI III. ad annum  
Christi MCCXII.

**E**sta quorumque præstantissimorum literis man-  
dare veterum sagacitas his de causis duxit commo-  
dum, ne quæ videlicet vetustatis aut oblivionis ob-  
literatione favorabilis eorum vita per succedentia  
tempora mortalium animis excideret. Quin po-  
tius si qua fortia vel honesta facta attigissent, in his audien-  
tium mentes oblectarentur, ad imitationem quoque eorum  
jugi recordatione inculcata proficerent. Cum igitur paga-  
nis & veræ fidei penitus extraneis, id potissimum fuerit stu-  
dii, ut non solum propria, sed etiam prædecessorum suorum  
gesta probabilia, scriptis ob commendationem perpetuam  
vel ædificationem, (conficta licet nonnulla) posteris trans-  
mitterent: cur non potius nos Christi fidelium non tantum  
honestæ, sed & feliciæ gesta scriptis & omnium laudum præ-  
coniis non efferimus, quorum vita multo probabilior, gesto-  
rum memoria longe delectabilior, executio etiam piorum  
operum effulsit fructuosior. Igitur de fundatione Bigaugi-  
ensis cœnobii intendentes scribere, primo quidem proge-  
niem fundatoris, scilicet Domini *Vvicerti* Comitis in Lu-

Hh

223

*Æt*, altius ordientes, à proavis incipiamus, deinde institutionis ejus occasionem divinitus acceptam gesta fortia institutoris, ejusque finem in eodem cœnobio, aperiemus.

### INCIPIT COLLECTVM EX LIBELLO SUPERNOMINATO.

*Emelricus* Rex Teutuniæ fratres habuit *Diermarum* Verdumensem, & *Herlibonem* Brandenburgensem, &c. *Herlibo* tres filios habuit, *Emelricum*, *Vridelonem* & *Herlibonem*, qui ex filia Regis de *VrVeghe* procreavit filios *Zventibor* & *VVolfum*. *VVolfus* Pomeranorum principatum adeptus, inde ad Regem Danorum confugit, à quo grariose susceptus, ejusdem Regis filiam accepit uxorem. Deinde fratres puellæ invidia moti persecuti sunt *VVolfum*, qui livori cedens, cum paulo post socer obiisset, reversus occidit Regis filios, regnumque, uti gener Regis, solus obtinuit. Ex uxore sua in detres genuit filios, scilicet *Ortonem*, *Hermanum*, *VVicpertum*: Balsamorum etiam regio dominio ejus cessit. *VVolfus* iste bellicosissimus defunctus est; corpus barbari more suo in templum Deorum ducentes, exequias flebiles agebant. Eo defuncto, avunculus eorum, quos *VVolfus* in Danorum provincia occiderat, filios ipsius de finibus suis ejecit: *Otto* in Græciam declinavit; *Hermannus* in Rusciam: *VVicpertus* autem in Balsamorum regionem, quæ ei paterna hæreditate provenerat, secessit, prælia plurima gessit. Quod cernens Dominus *Gasvvinus* Comes de *Leige*, filiam suam, nomine *Sygenam* in conjugem ei tradidit, &c. Ex ea *VVicpertus* genuit filium *VVicpertum* longe præstantiorem paternis virtutibus. Duas etiam filias ex eadem *Sigena* suscepit, quarum unam *Henricus* de *Leige* duxit, alteram *VVernerus* senior de *Veltheim*; ex qua is filios habuit *VVernerum* & *Aaelgotum*, Magdeburgensem postea Archiepiscopum. Huic *VVerneræ*  
villæ